



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R.P. Clavdii Aqua-Vivae Societatis Iesv Præpositi
Generalis V. Meditationes In Psalm. 44. et 118**

Acquaviva, Claudio

Coloniæ Ubiorum, 1616

Inhaltsverzeichnis

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50645](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50645)

Et exercebor in iustificationibus tuis. Pulcherrimus ordo iste, inquit S. Ambrosius, ut primò meditemur: & eorum præceptorum, quæ diligimus, sit nobis assuetameditatio. Meditatione enim mandatorum cælestium operis boni vsus inolefcit. Et paulò post. Subiecit, inquit, Propheta, Eleuauit manus meas ad præcepta tua, quæ dilexi nimis, (sic enim ipse legit) post meditationem etenim bonum est leuare actus nostros ad præcepta Dei, atque id facere cum caritate, & gaudio, ut non ex necessitate sit bonum nostrum. Et infra. Qui autem meditatur, & diligit, & actus suos leuat, ut faciat, quæ placeant Deo, is debet non negligere, nec transcurrere mandata diuina, sed exercere se in his, immorari plurimum, iustificationes Dei trebrò reuoluens sollicitæ mentis affectu.

Ex dilectione meditatione. Ex meditatione opus.

Ex opere exercitatio.

¶ Zain, id est, Hæc.

Octonarius Septimus.

49 **M**emor esto verbi tui seruo tuo, in quo mihi spem dedisti.

50 Hæc me consolata est in humilitate mea: quia eloquium tuum viuificauit me.

Q 7

51

51 Superbi iniquè agebant vsquequaque : à lege autem tua non declinaui.

52 Memor fui iudiciorum tuorum à seculo Domine: & consolatus sum.

53 Defectio tenuit me, pro peccatoribus derelinquentibus legem tuam.

54 Cantabiles mihi erant iustificationes tuæ, in loco peregrinationis meæ.

55 Memor fui nocte nominis tui Domine: & custodiui legem tuam.

56 Hæc facta est mihi: quia iustificationes tuas exquisiui.

49 Memor esto verbi tui seruo tuo, in quo mihi spem dedisti.

Meminisse Dei est facere.

Non potest obliuisci Deus, sicuti nec meminisse, quia ipse sibi intellectus est, & oculus semper videns.

Dicitur autem meminisse, quando facit, quando liberat, quando nos benignè intuetur: sicuti obliuisci, quando deserit; & tentari, aut tribulari permittit vnde dicebat Propheta gemens.

Psal. 12.

Vsquequò Domine obliuisceris me in finem? vsquequo auertis faciem tuam à me? & alibi.

Exu-